Heu doleo Piſa: de me ſtirps una reciſa
Me ſæpe dat peſſum. Caput eſſem: vix ita pes ſum.
Hoc genus in Matrem furit, urit viſcera. Patrem
Obſecro cœleſtem ſuper id grandem dare peſtem.

Anno 1170. Piſani propter dolorem, quem eis prædictus Tancredus Vicecomes traditor de caſtro Agnano dederat, duos fecere exercitus, unum ad obſidendum caſtrum de Corvaria, alium caſtrum de Agnano. Et videntes Lucani, quòd ipſa caſtra defendere non poterant, quamvis cum magno exercitu ad Corvariam defendendam iviſſent, IX. Calend. Maji per Religioſos viros de Luca fecerunt de pace tractare; & pax jurata fuit per Conſulem Piſanorum, Januenſem, & Lucanum, & per duos bonos Viros de unoquoque Communi. Sed Lucenſes, & Januenſes pacem juratam noluerunt, quia eam non fecerant, niſi ad caſtra defendenda per fraudem.

Eodem Anno V. Calendas Julii Piſani cum Rege Siciliæ pacem fecerunt, quam honorificè in perpetuum firmaverunt.

Eodem Anno Piſani ceperunt civitatem Albengam cum galêis XXXII., & Januenſes iverunt cum galêis LII. ad flumen Rhodani in Provinciam, ubi erant dictæ galêæ Piſanorum, & in terra prœliati ſunt; & Piſani vicerunt eos, & quamplures ex eis ceperunt.

Anno 1171. Cùm Piſani mitterent in Sardineam Caronem Conſulem, & alios tres Nobiles & prudentes Viros ad pacificandos Judices, & homines Sardineæ inter ſe, videntes prope Plumbinum unam galêam Januenſium, quæ habebat ſecum unam Piſanorum navem, quam ceperant, pro ſuccurrenda noſtra Navi illam invaſerunt. Et tunc duæ aliæ Januenſes galêæ, quæ ibi prope in inſidiis malitioſè ſtabant, exiverunt foràs, & noſtram galêam ceperunt; ipſum Conſulem & ſocios Januam duxerunt in carcerem.

Eodem Anno Piſani X. naves Januenſes ceperunt, quarum quinque in vigilia Sancti Johannis Baptiſtæ combuſſerunt.

Eodem Anno à temporibus Dathan & Abiron non fuerunt tam miranda & ſtupenda prodigia, quam ea, quæ hoc Anno in Terra Orientali evenerunt; civitas Tripuli cum magna Eccleſia dedicata ad honorem Beatæ Mariæ Virginis cum toto populo, & medietas civitatis Antiochiæ cum Eccleſia Beati Petri Apoſtoli, in qua Cathedra ejus fuit, & cum quibuſdam aliis villis, & caſtellis prædictarum civitatum, ipſa ſolemnitate Sancti Petri, quæ tertio Calend. Julii eſt, à terræmotu ſubverſæ ſunt: de quo terræmotu tria millia Chriſtianorum perierunt, & beſtiæ multæ.

Eodem ſimiliter die Alap, Ceſaria, Emma, civitates Saracenorum magnæ, cum parte villarum & caſtrorum earum, & Uringa caſtrum magnum ab eodem terræmotu ſubverſæ ſunt, ubi CC. millia Saracenorum, & ampliùs perierunt.

Eodem Anno menſe Septembris prope Arboream Piſani unam Januenſium navem ceperunt, & in menſe Novembris aliam, quæ de Janua tunc veniebat. Et demum alteram, quæ de Sicilia pro Lucenſibus veniebat, Piſani, qui erant in tribus galêis armatis, ceperunt.

Anno prædicto menſe Novembris Piſani fecerunt exercitum magnum, ubi fuerunt quaſi duo millia militum. Qui XV. Cal. Decembris iverunt contra caſtrum, quod Lucenſes, & Januenſes prope Motronem in litore maris tenebant, & contra ipſum Motronem caſtrametati fuerunt ultra Caput-Cavalli. Lucenſes verò magno vigore ad turrim ſuam ligneam, quam habebant ad viam dictam Regiam, ſinè mora iverunt, & ibi uſque ad litus maris ſuum campum viriliter poſuerunt. Et cùm ibi per quatuor dies Conſules Florentini, & aliæ Religioſæ perſonæ de pace tractaſſent, & pax Lucenſibus diſplicuiſſet, utpote qui de victoria confidebant, Piſani ſe paraverunt ad bellum, & in tres acies ſuum exercitum diviſerunt. Et in prima acie omnes fuerunt pedites, & ſagittarii, & milites octingenti, & ſex caſtella lignea fortiſſima, quorum unumquodque quatuor curribus ferebatur; in qua acie Comes Ildebrandinus Signifer & Capitaneus extitit, & Sigerius quondam Ugutionis Gualandi probatiſſimus miles, & Comes Albertus de Prata probatiſſimus. In ſecunda acie fuerunt milites ſeptingenti, quorum fuit Vexillifer Ugo Bellæ miles egregius: quæ acies plurium erat Nobilium, & probatorum inſignita virorum. Fuerunt ſcilicet in ipſa Comites Gerardus, Rainerius, & Ugo, & Comes Tedinus de Bizerno, & Ugutio, & Tegrimus Comites de Cortino, & plures alii. In tertia acie fuerunt milites D. inter quos fuit nobilis militia Epiſcopi Vulterrani, quorum fuit Signifer Henrigus Canis miles ſtrenuiſſimus. Numquam uſq; tunc Tuſciæ Nobilium probitas meliùs numero convenerat. Uno itaque concurſu utrique acies Piſanorum & Lucenſium ingenti contentione dimicaverunt. Cùmque dubia ſorte utrique prœliaretur, tandem, virtute Dei, qui exaltat humiles, & deponit potentes, Piſani VI. Cal. Decembris, qui fuit dies Jovis, de Lucenſibus & Januenſibus glorioſam habuerunt, & conſecuti ſunt victoriam. Illos vicerunt, debellaverunt, & fugaverunt uſque ad prædictam ligneam turrim, & ultra; & de Lucenſibus ceperunt milites CCC., & pedites DCC., & plures cum tribus Conſulibus Lucanorum. Multitudo maxima fuit occiſa; multi in palude & alibi fugiendo diverſimodè perierunt. Papiliones quidem, & tentoria, arma, equos, ſalmariam, & omnia Lucenſium ſpolia victorioſi Piſani ceperunt. Nec dubium eſt, quòd ille ultimus Lucanæ civitatis dies fuiſſet, ſi Piſani non ad ſpolia, ſed ad Lucenſes devictos, & fugatos capiendos divertiſſent. Januenſes verò, qui de mari videbant, receſſerunt dolentes. Altera verò die Piſani prædictam turrim ligneam ceperunt, & mortuos Lucanos, & arma, & ſpolia multa de ſylvis & paludibus abſtraxerunt. Tertia autem die, quæ fuit quarto Cal. Decembris, ad caſtrum de Motrone iverunt cum manganis, gattis, caſtellis ligneis, & petreriis, & illud in recinctu obſederunt; & per dies quatuor cum prædictis & aliis machinis ipſum viriliter oppugnaverunt. Quod caſtrum in litore maris erat foſſa vallatum, & quadratum, & per unumquemque angulum turrim habebat tutiſſimam. In medio autem turris erat LX. cubitorum fortis, Pugnatores LXXX. in ea cum XX. baliſtris. Cùmque diu pugnatum eſſet, illi ſe non valentes tenere, videntes murum à gatto foratum, & à manganis turrim, IV. Nonas Decembris ſe reddiderunt Piſanis; & illud triduo uſque ad fundamenta deſtruxerunt, & ita ſolo coequaverunt.